



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

111. An iudex in ciuilibus conscius veritatis possit contra aliquem ferre
sententiam iuxta allegata, & probata? Et quid in criminalibus leuibus? Ex
part. 10. tract. 15. & Misc. 5. res. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

iustam recompensationem. Etenim etiam sentit Sanchez, & Lugo.

3. Nota verò, quod quando litigans potest prædictas informationes capere iuxta dicta in prima conclusione, non potest Advocatus illas recipere, nec amantius illas scribere, quia licet studium Advocati, & actio scribendi sint res indifferentes, at litigans vult illis abuti contra iustitiam; imò nec in dubio, an litigans peccaverit capiendo dictas informationes, poterunt Advocatus, aut amantius prædicta facere; quia quod communiter contingit, est perperam & iniuste illas usurpare, & rarissime oppositum accidit, nisi, ut dictum est, constaret alteram partem prius prædicti litigantis informationes usurpasse. Vide Sanchez *ubi supra*. Nescio autem si supradicta à litigantibus observentur, & si cedant iuri suo, ut faciat unusquisque quod potest, ita ut sit æqualis inter illos conditio.

RESOL. CXI.

An iudex in civilibus conscius veritatis possit contra alium ferre sententiam iuxta allegata, & probata?

Et quid in criminalibus leuib? Ex p. 10. tr. 15. & Misc. 5. Ref. 16.

Alia Ref. Si. que sunt hanc legem.
IN causis criminalibus quid faciendum alibi diximus, nunc ad dubium propositum sic respondet Petrus Marchantius in *Tribun. Sacram. tom. 3. part. 3. tr. 5. tit. 2. q. 4. concl. 2.* Non licet iudici in civilibus ferre sententiam contra aliquem, à cuius parte certò, & indubitare, novit iustitiam stare, etsi allegata, & probata à parte adversaria contrarium conuincant. Ratio mea est, quia iudicium iniustum ex natura sui, & omnibus legibus illicitum est, tale autem iudicium etsi ex allegatis, & probatis videatur iustum, à parte rei tamen iniustum est, nec aliqua lege iustificari potest.

2. Respondet Lessius *ubi supra*, qui in civili causa nobis est contrarius: Respublicam sententiam iustificare ex eo quod ad salvandas leges communes iudiciorum civilium possit disponere de bonis fortunæ suorum civium ob publicum bonum, hic autem interest publico bono, ut leges civiles iudiciorum, & tribunalium serventur quantum fieri potest illibata, ne videantur cum publico scandalo iudicia perverti.

3. Respondet ego è contra: Non sufficere quod magistratus habeat potestatem disponendi de rebus fortunæ suorum subditorum pro publico bono, sed oportet probare in casu, vel quæstione proposita, esse publicum bonum, & condemnationem iusti, aut innocentis in materia civili posse esse bonam, & in utilitatem publicam cedere, & posse rem per se iniustam iustificare. Quinimò è contra assero huiusmodi sententiam contra rei veritatem, & iustitiam prolatam omninò iniustam, & malam esse, quia, & leges Dei & leges civiles perturbat, ac legibus civilibus contradicit, pro quo.

4. Aduertendum est prius & principalis leges civiles intendere veritatem, & iustitiam causæ quam illius per ventilationes iudiciales probationem; Prius est enim esse iustum, quam probari iustum, nec probatio requiritur nisi dubio aliquo superveniente. Itaque cum iudici certò de iustitia constet, & consequenter de falsitate allegationum, & probationum ipsi nulla superstit dubitatio, iudex non potest iustitiam sibi certò notam condemnare, & mendacium (de quo sibi constat) per iudicem sententiam approbare: hoc enim est legem Dei, & legem civilem perturbare, & animam legis, quæ est veritas auferre. Vnde negandum planè est: Iuris Civilis præceptum esse simpliciter ex allegatis, & probatis iudicare, sed tantum ex supposito quod allegata, & probata sint vera, & pro veris à iudice habeantur, hic

Tom. V I.

verò nec à parte rei sunt verà, nec à iudice pro veris habentur. Nec talis sententia publico loco legum deferre potest, cum contra legis, & legislatorum mentem per illam falsitates, & fraudes, ac iniustitias in publica tribunalia viam sibi faciant, quæ publico magis bono repellit, & propulsi ab illis debent. Nec refert, quod fortè ex his aliqui scandalizabuntur, quia quamvis necessarium sit, ut aliquando veniant scandala, vae tamen homini illi solum per quem scandalum venit, hic verò non censetur per iudicem scandalum venire, sed per eos, qui iudicio (quod sanctum haberi debet) falsitates suas ingesserunt. Denique in materia legum, & iudicis fundamenta nuper allata servanda primariò sunt, nimirum veritas in re, iustitia in causa decisionis, hic autem, & falsitatem in re, & iustitiam in causa decisionis subesse manifestum est, quas nullus iustificare potest, nisi fortè prætextu illius axiomatis. Quod ad maius malum vitandum interdum minora mala permittenda sunt. Iudices autem æquus arbiter an sit minus malum fraudes, & dolos contra iustitiam permittere, quàm illis quovis modo possibili se opponere ut propulsi fuerint.

5. Petes Quomodo ergo se iudex geret?

Respondeo: Non deest industria à Domino, quæ Danieli puero inspiratæ sunt per examina, diversiones, dilaciones, imò, & iustas suscitationes causarum, quæ viam faciunt ad discooperiendas fraudes, & nullo medio occurrente, etsi non teneatur tanto suo damno iudex deponere officium, potest tamen illum actum sententiæ ferendæ pro sua conscientia declinare. Hucusque Marchantius.

6. Sed ut verum fatear puto non esse discedendum à sententia affirmativa Lessii, quam communiter docent Doctores, & novissime illam tuetur Gaspar Hurtadus, de iudicio forensi, disputat. 1. difficultate 8. Quia ex vna parte maioris momenti est bono communi, quod forma publici iudicij servetur, quàm quod ea præsertim contra iudicem probationem non condemnentur quis aut ad spoliacionem bonorum, aut exilium, aut ad aliam poenam corporalem leuem, aut ad infamiam, & ex altera parte Respublica, aut qui ei præest ob bonum commune potest de prædictis directè, & per se disponere, sicut quilibet potest ex rationabili causa de suis bonis, & de sua fama disponere, & se ipsum corporaliter punire, ergo iudex auctoritate à Republica, aut ab eo, qui ei præest etiam poterit eum quem iuxta iudicem probationem inuenit in eis condemnabilem condemnare, & consequenter etiam tenebitur si officium retineat. Ea tamen sententia in foro interiori non obligat reum, & idem est de ministro iustitiæ, ut eam exequi possit, & consequenter ad id tenetur iuxta cap. Pastoralis de officio, & potest. iud. de leg.

7. Est ergo magnum discrimen inter causas civiles, & criminales leues ex vna parte, & inter criminales graves ex altera, ob quod non potest in his condemnare contra propriam scientiam, bene tamen in prioribus, quia scilicet ad directè auferendam vitam, aut membrum absque delicto non habet Respublica auctoritatem, bene autem ad auferenda bona fortuna, & famæ, & ad aliquantulum cruciandum corporaliter absque delicto, quamvis non absque rationabili causa.

8. Ad rationem ergo adversariorum respondemus, quod quamvis ex natura rei, seu iure naturali non minus requiratur veritas, quam iustitia ad obligandum in foro interiori: Ex lege tamen humana, quæ extat pro veritate iudicè probata, & non pro iurisdictione probata, non ita requiritur veritas te ipsa in dictis causis civilibus, & leuioribus criminalibus, sicut requiritur iurisdictione, quando contra veritatem est iudicia probatio, & iudex possit iudicare in foro exteriori, & exteriorius cogere.

G RESOL.